UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Anima salutat B. Virginem & ab ea pacem & gaudium spirituale postulat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

Visual Library

ſalutationem Angelicam: & omnia quibus in tua nauigatione indiges, videlicet pacem & gaudium tam interius, quàm exterius, caſtis ab ea precibus poſtula.

Hæc enim ſequens verſuum quaternarius in ſe complectitur. concine igitur illum deuota mente & dic:

Sumens illud Aue
Gabrielis ore:
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ.

## MEDITATIO.

*Anima ſalutat Beatam Virginem & ab ea pacem & gaudium ſpirituale poſtulat.*

Prou. 18. DOnum hominis, virgo glorioſa, iuxta Sapientis dictum, *dilatat viam eius, & ante Principes ſpacium ei facit*. Tu es totius mundi princeps & Regina; tuo præſidio atque

que auxilio vehementer egeo. Quid autem gratius tibi offerre poſſum, quod mihi aditum ad te paret, quàm ſalutationem illam, quæ tibi è cælo per Gabrielem Archangelum allata eſt? hac namque nihil præclarius aut pretioſius habeo. *Aue* igitur, *MARIA gratiæ plena. Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui IESVS Christus. Sancta MARIA mater DEI ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.* Per hanc ſalutationem, ô Virgo, te obteſtor atque obſecro vt me in tuam ſanctam protectionem & cuſtodiam ſuſcipias. Cernis quàm miſerè iacter in magno & ſpatioſo mari huius mundi. Vides quanto in diſcrimine ſpiritualis naufragij faciendi verſer. Præcipe igitur inſanis huius Oceani fluctibus vt quieſcant, vē- Luc. 1.

tis manda vt ſileant, nec flatibus ſuis nauiculam meã turbent & diſijciant. Effice vt piratæ abſcedant meque inquietare deſinant, vt in pace viuens, in pace inquam vera, ſtabili, & perpetua, dies vitæ meæ in tranquillitate tranſigam. Sine hac pace operib. pietatis inſiſtere nequeo: ſine hac pace Deo famulari nõ valeo: nec ad portum quò mea reſpicit nauigatio, peruenire. Qui enim turbatus eſt ſiue intus ſiue foris, nullo negotio à bonis inceptis abſtrahitur, & qui gaudio ſpirituali caret, pietate ac deuotione omni penè deſtituitur. Hinc eſt quod Dauid Propheta Devm precabatur dicens: *Redde* Pſalm. 50. *mihi Domine lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Indicare volens quod hac lætitia imbutus officio ſuo rectius defungeretur: quemadmodum alibi te-

ſta-

ſtatur cum ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* O virgo ſacratiſſima, nos omnes natura naſcimur filii EVAE ac maledictionis, atque idcirco multis triſtitiis, inquietudinibus & turbationibus obnoxii ſumus: quamobrem Pſalmiſta vult nos pacem inſtantiſſimè petere ac proſequi cùm ait; *Inquire pacem, & perſequere eam.* Quando in ea ô virgo glorioſa, me ſtabilieris & confirmaueris, tunc nomen Euæ in AVE, hoc eſt, tribulationem in requiem: diſcordiam in concordiam: maledictionem in benedictionem: triſtitiam in gaudium commutabis. Filius tuus appellatur princeps pacis, & tu igitur iuſto iure princeps pacis vocari potes. Quapropter mihi ſingularis gratiæ loco hoc pacis & gaudii ſpiritualis

*Pſal. 118.*

*Pſal. 36.*

donum impetra: ad hunc enim finem ſalutationem Angelicam tibi obtuli, hanc precor vt ſuſcipias, eaque ſuſcepta, poſtulatis meis benignè annuas.

## SVMENS ILLVD AVE.

*De ſalutationis Angelicæ præſtantia, & quanta cum deuotione recitanda ſit.*

### CONSIDERATIO.

*Salutationis Angelicæ auctoritas demonſtratur.*

NOſſe te oportet Fidelis Anima, ſalutationẽ Angelicam eſſe orationem diuinitus inſpiratam, & partim ab Gabriele Archangelo partim à Beata Eliſabeth, partim ab Eccleſia compoſitam. Angelus ad virginem ait: *Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum.* S. Eliſabeth à Spiritu ſancto inſpirata adiecit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Reliqua, nempe, *Sancta MARIA mater DEI ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ Amen,* ab Eccle-